



Crisis Theologica

In Qva Selectiores, Et Aciores hujus, et elapsi sæculi controversiæ,
subsecuturâ in Elencho legendæ discutiuntur

Crisis Theologica - In Qva Selectiores, Et Aciores hujus, et elapsi sæculi
controversiæ, subsecuturâ in Elencho legendæ discutiuntur

Casnedi, Carlo Antonio

Ulyssipone, 1712

§. I. Deviat à scopo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84796](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84796)

DISPUTATIO XXVII.

Noviores Tutoristæ, seu Certitudinistæ.

SUMMARIUM.

Quid n. 1.

Nulla est questio nisi de voce inter Certitudinistas, & Probabilioristas, si non distinguatur Probabilioritas à morali certitudine, ibid.

N. 1.



NTERRUPTUM, ob distractam atrocissimo bello Europam, librorum commercium, compellit me, ut argumenta, quæ meliori in luce collocari potuissent, si voluminum recenter impreforum copiam, & tempus nactus fuisset, ad hujus mei operis calcem inferam. Tres nobiles Tutoristæ, nempe Riccius, Fegarinus, & de Charlas unanimiter mordicus negant, licitum sequi minus tutam, etsi probabilioram, nisi sit moraliter certa. Fateor, quod si probabilioritas à morali certitudine distinguatur, ut hi DD. meritò distinguunt, & nos sæpe distinximus, ut sanè distingui debent, quod questio inter Certitudinistas, & Probabilioristas erit de re. Si non distinguantur, ut Probabilioristæ passim præstant, tunc erit de voce, quatenus Probabilioristæ per probabilioritatem intelligunt certitudinem moralem, quod facere non debent.

SECTIO I.

Mens Bartholomæi Ricci.

§. I.

Deviat à scopo.

SUMMARIUM.

Negat questionem de licito usu abstrusam, n. 2.

Negat opinionem assentiri veritati, n. 3.

Opinio quid juxta S. Bernardum? Ibid.

Ait Probabile in Scholis idem esse, ac opinabile: in Scripturâ, & PP. idem, ac approbabile, n. 4.

Ait omnem opinionem esse probabilem, n. 6.

Ait necessariam certitudinem moralem de veritate, nec satis probabilioritatem, n. 7. 8.

Ostendo quod questio de licito usu sit valde abstrusa. n. 10. 11.

An summa Probabilitas sit certitudo? ibid.

Alex. VIII. damnat non satis Probabilissimam, ibid.

Opinio non est purè apprehensio, n. 12.

Contradictio Anti-Probabilistarum: plerique volunt opinionem esse firmum veri assensum; et Riccius negat, quod opinio assentiat vero, ibid.

Quantum Riccius deviat à questione, n. 13.

Opinabile non est idem, ac probabile, n. 14.

Questio, ut à Riccius exponitur, plura falsa continet, n. 15.

Nego quod velint Antiqui omnem opinionem esse probabilem, n. 16. 17. 18.

Ad licitè operandum non est necessarium iudicium directum moraliter certum de veritate speculativâ, & materiali honestate, n. 19. 20.

Ostendo certitudinem moralem opinionum inter TT. controversarum esse difficillimam, n. 23. 24. 25.

Riccius rejicit omnem probabilioritatem, n. 25.

Edi disp. 13. & alibi aliqua ex hoc doct. N. 1. dicto Authore argumenta: modo uberiori calamo produco, quæ lib. 3. de Act. Hum. cap. 1. tradit. Ait enim 1. controversiam de licito usu probabilioritatum non esse magnæ, aut abstrusioris indaginis, licet sit gravissima, quia est de principio universalis, ex quo innumerabilium operum libertas, vel inhibitio, innocentia, aut culpa dependent.

Ait n. 2. & 3. quod opinio stricte est assensus erga conclusionem ex probabilibus tamquam veram, & ideo ex S. Thom. 2. sent. 2. Th. dist. 11. art. 5. nec in Deo, nec in Angelis datur. Hinc ait sequi, quod opinio non est apprehensio, quia in hac, nec veritas, nec falsitas est; ergo est assensus: insuper est assensus erga conclusionem ex probabilibus tamquam veram: ergo non est assensus probabilioritatis, quia hæc evidenter sæpe innotebit; sed veritatis, juxta dictum S. Bernardi 2. lib. 5. de Considerat. cap. 2. Opinio est quasi pro vero habere, quod nescias esse falsum.

Ait n. 4. in præsentii lumendam opinio. N. 3. nem pro simplici cognitione, vel etiam assensu ex probabilibus, non autem pro assensu erga conclusionem tamquam veram; quia non videtur subsistere, quod quis ex principiis probabilibus assentiat conclusioni tamquam veræ, quia teneret incertum pro certo; omnis autem assensus opinativus est

est cum formidine oppositi, & contingens ad verum, & falsum ex 2. *Post. tex.* 194. 195. 196. subdit, quod si quis contendat lumen- dam opinionem pro assensu erga conclusio- nem tamquam veram, nihil curaturum.

N. 4. Ait n. 5. probabile in Scholis idem esse, ac opinabile, quare contingens est ad verum, & falsum, ut S. Augustinus *lib.* 3. contra Cresconium *cap.* 75. dixit: *Probabile quando dicitur, non consequenter verum.* In Divinis litteris, & in Authoribus tam sacris, quam profanis, *probabile* aliquando sonat *approban- dum*, sicut *amabile*, *amandum*; quod eruditè prosequitur.

N. 5. Ait n. 6. controversiæ cardinem esse, an cognitio incerta, licet probabilis, undecum- que habeatur probabilitas, licet sumatur pro regulâ directivâ nostrorum actuum; & notat discrimen inter incertum, & inevidens; nam fides est inevidens, nec tamen incerta: ergo non est idem inevidens, ac probabile.

N. 6. Ait n. 7. recentes aliquos probabilitatum Assertores dicere, non esse controversiam de opinione absolute, an liceat illi niti in operando, non enim licet; sed quæstio est de opinione probabili. Subdit n. 8. ex com- muni Antiquorum, & Recentium, præter paucos, sensu, quamlibet opinionem hoc ip- so, quod opinio sit, esse probabilem; habet enim motiva probabilia, quibus nititur, & probari potest. Quare tollere ab opinione probabilitatem, est tollere ab eâ sui naturam; potest quidem una opinio esse probabilior alterâ; sed quod detur opinio non probabi- lis, est impossibile; tunc enim non esset opi- nio, sed conjectura, vel iudicium, vel scrup- ulus, vel credulitas: quamvis ergo in hac cō- troversia non dicatur absolute opinio, sed addatur probabilis, id ad maiorem expressio- nem fieri dicendum est, non ad distinguen- dam opinionem probabilem à non probabili. Hæc ad verbum.

N. 7. Ait n. 9. Sit ergo constitutum, illum esse sensum præsentis controversiæ, an licetè possimus sequi opinionem probabilem, seu probabilitatem, quæ incit ex naturâ suâ opinioni; an verò teneamur sequi certio- rem cognitionem, quam sit opinio.

N. 8. Ait n. 10. ex Antiquis non nisi Ger- sonem stare pro nostrâ sententiâ; & concludit caput dicendo: Cum negantis sententiæ Do- ctoribus dicendum cenſeo, numquam lice- re uti opinione probabili de immunitate actus à peccato, sed omnino requirendam certitudinem moralem; quare nec licet uti probabiliori, nisi ad eam certitudinem per-

Riccius. veniat. Hæc Riccius.
Tom. III.

Antequam traham argumenta, quæ *cap.* N. 9. 2. contra nos trahit, consideranda, & im- pugnanda sunt, quæ *cap.* 1. dicit.

Sentio itaque 1. tantum abesse, ut lis de N. licito probabilitatum usu non sit abstrusa, 10. quin est abstrusissima, ut sæpe notavi; im- mo exemplo suo Riccius ostendit esse valde abstrusam, dum tantum recedit à communi intelligentiâ quæstionis. Non potest ergo hæc quæstio abstrusa non esse, cum sit ex toto reflexa; nam reflectit supra opinionem certò probabilem practicè, & de hac quæ- ritur, an usus talis opinionis sit necne lici- tus. Rursus est quæstio implexissima, ut pa- tet ex ipsis terminis, nam nisi retineatur præ- ctica probabilitas, & practicæ probabilitatis certitudo, saltatur extra chorum; & ideo Adversarii sepius cōfundunt tutum cum probabili; probabile speculativum cum probabili practico; probabiliter probabile cum certo probabili; minus probabile cum non probabili; probabilius cum moraliter certo; verum cum probabili, ut hæcenus notavi. Similiter est quæstio difficillimæ resolutio- nis, nisi nostra sententia retineatur: & ideo vix unus ex Adversariis cum alio concor- dat, & hoc quia confundunt terminos, & quia talia trahere solent cōtra nos argumēta, ut ab ipsis solvenda sint; aliqua enim probant sequendam semper tutiorem, etsi minus probabilem, quod à Probabilioristis negatur: alia licitum sequi probabiliorem, etsi minus tutam, quod à Tutoristis negatur: alia non nisi certum sequendum, quod cum in incer- tis sit semper impossibile, consequenter tam à Tutoristis, quam à Probabilioristis negat- ur, immò ab omnibus negandum est post 3. damnatam ab Alex. VIII. quod non liceat Alex. sequi probabilissimam: ergo sanctum de fi- de est satis esse probabilissimam; summa au- tem probabilitas, non nisi confundendo ter- minos, vocari potest certitudo. Demum ali- qua argumenta probant non nisi verum se- quendum, quod, loquendo de speculativè vero, ita ut speculativè falsum non excuset à peccato, est hæreticum; immò aliqua non nisi evidenter verum, quod, præter Janseni- mum, involvit impossibilitatem.

Ecce igitur quam difficillimæ intelligen- N. tiæ sit nostra quæstio: si enim multiplex ce- 11. lebriorum Doctorum in aliquâ quæstione dissensus ostendit arduam difficultatem quæ- stionis, ut patet in infinitis quæstionibus Theologicis, ex. gr. an libertas sit Deo om- nino intrinseca: an Deus omnia decernat unico decreto non tantum realiter, sed etiam virtualiter indistincto: an Sacramenta cau- sent tantum physicè, an tantum moraliter, an

li utro-

utroque modo gratiam : quanto magis ex multiplici præsertim ipsorum Anti-Probabilistarum mente, immò eorum inter se, & quod caput est, cujuslibet secum ipso contradictione, inferre licebit, quæstionem hanc de licito aut non licito probabilitarum usu esse difficillimam; nulla enim ne quidem de actibus liberis Dei cum Divinâ immutabilitate componendis, & eorum constitutivis quæstio est, in quâ tot in sententias dividantur Doctores, in quot Anti-Probabilitæ dividuntur, siue sint Tutoristæ, siue Probabilistæ, siue, ut barbarè loquar, Certitudinistæ, siue Veristæ, immò quilibet à se ipso: ergo à posteriori constat, quæstionem de licito probabilitarum usu esse difficillimam.

N. Sentio 2. verum esse, quod opinio strictè, & genericè sumpta non sit nisi judicium, seu assensus, vel dissensus, non autem simplex apprehensio. Similiter sentio verum esse quod dicit Riccius n. 2. quod non sit assensus de probabilitate, sed de veritate, incertus tamen. At nescio quomodo verum sit, quod ait n. 4. in præsentî quæstione de licito opinionis probabilis usu, opinionem fumen- dam, vel pro simplici cognitione, seu apprehensione, vel pro assensu ex probabilibus; non autem pro assensu ex probabilibus erga conclusionem tamquam veram. Non, inquam, video nisi contradictionem, non autem veritatem. Video contradictionem cum aliis Anti-Probabilistis, nempe cum P. D. Thyriso, P. Munciel. Palanc. M. Gonet. qui, & alii volunt, quod assensus opinionis debeat esse absolutus, & firmus de rei veritate, ut licetè operer: Riccius autem negat, quod debeat esse assensus ex probabilibus erga conclusionem tamquam veram; ergo contradicit omnibus Anti-Probabilistis, & Probabilistis. Si ergo ab initio tantum discordat in quæstionis intelligentiâ, non mirum si tantum distet in ejus resolutione, & impugnatione.

N. Non video veritatem 1. quia nullus est, qui ita præsentem quæstionem intelligat, nempe an liceat sequi apprehensionem; nam quæstio est, an liceat sequi opinionem probabilem, seu assensum, & judicium probabile de non peccato: ergo opinio sumi non potest pro simplici apprehensione, quæ nec affirmat, nec negat esse peccatum. Secundo, Riccius. quia idem Riccius in hoc sensu impugnat tuentes usum probabilitarum, ut colligitur ex ejus argumentis. Tertiò, quia ipse præmiserat n. 2. quod opinio strictè est assensus; hic autem sumitur strictè. Quartò, non video quomodo veniat per opinionem in præ-

senti quæstione purus assensus ex probabilibus; non autem assensus ex probabilibus erga conclusionem tamquam veram; hoc enim implicat; nam omnis assensus alicui veritati assentitur: quæro igitur, cui veritati assentiar, dum probabiliter dico, *Licet pingere die festo?* Utrique huic veritati, *Licet pingere die festo?* immò ipse assensus probabiliter verus est intransitive probabiliter veritas. Quod autem subdit, quod si opinio assentiretur conclusioni tamquam veræ, teneret incertum pro certò; hoc nego, si absolute loquatur, nam probabiliter tantum, & cum formidine assentitur: ergo non tenet incertum pro absolute certo, sed pro probabiliter certo. Sed hæc leviora sunt, de quo infra.

Sentio 3. quod quam verum est in Schol. N. lis, quod probabile sit opinabile, tam falsum est, quod dictus Theologus dicit, nempe idem in Scholis esse opinabile, ac probabile. Primum est verum, quia à specie ad genus tenet consequentia; quia omnis species supponit suum genus. Secundum est falsum, quia à genere ad speciem non tenet consequentia: sed opinabile est genus, probabile est species opinabilis, nam opinabile dividitur, inter alias divisiones ab omnibus Theologis, in probabile, in improbabile, & in non probabile: ergo licet verum sit omne probabile esse opinabile, non tamen e contra omne opinabile esse probabile.

Sentio 4. quod status quæstionis, ut ex N. ponit Riccius, plura falsa continent. Nam 1. n. 6. ait cardinem controversiæ esse, an cognitio incerta, undecumque habeatur probabilitas, nempe siue sit intrinseca, siue extrinseca, ut dixerat n. 5. licetè sumatur pro regulâ morum. In hoc autem plura falsa miscetur; quia nullus adeo nude, & crude dicit omnem cognitionem probabilem esse regulam morum, sed dicunt, & exponunt cognitionem verè, & certò practice probabilem; nec hoc contenti explicant probabilitatem absolute, & respectivè solidam. Immò ferè omnes Probabilitæ volunt, quod opinio probabilis directæ non sit nisi regula objectiva, & mediata morum; regula autem immediata sit ipsum solum judicium certum reflexum de licito usu cujusque opinionis certò practice probabilis, quæ omnia deficiunt in statu quæstionis, ut à Ricciio propositæ: ergo omnia, quæ trahit, nos non tågunt, quia impugnant quæstionem, non ut à nobis, sed ut ab ipso proponitur. Hinc iterum colligitur, quam implexa sit quæstio reflexa de licito usu probabilitarum, cum vel ipse status quæstionis hunc egregium impug-

impugnatores latuerit. Rursus colligitur, quam inania sint contra nostram sententiam argumenta, cum nostra sententia non sit, licere sequi cognitionem probabilem, seu opinabilem; immo negamus, nisi ea cognitio probabilis practice sit certo absolute, & relative probabilis.

N. 16. Sentio 5. ex mente Antiquorum non quamlibet opinionem, hoc ipso, quod opinio sit, esse probabilem; nam omnes Antiqui dividunt opinionem in probabilem, & non probabilem; in absolute, & respectively probabilem, & in non talem: & Moderni præter hoc dividunt in probabiliter, & in certo probabilem. Similiter omnes Antiqui dividunt iudicium opinativum in prudens, & in temerarium; omne autem iudicium temerarium est opinio non probabilis theologice; nisi ludere velimus, & per probabile intelligere, quod nullam, vel prorsus levem habet rationem: hoc autem ipsum convenire poterit iudicio evidenter falso, nam sæpe trahimus levissimas pro eo rationes; immo omni opinioni damnata, & hæretica; nam Hæretici suas pro heresi trahunt irrationabiles rationes; nec tamen ullus diceret, quod iudicium evidenter falsum, aut hæresis sit opinio probabilis: ergo falsum est, quod docet Riccius, quod omnis opinio sit verè probabilis. Hinc sunt certo falsa omnia, quæ n. 8. deducit, nempe impossibile esse, ut detur opinio non probabilis; etenim iudicium Hæretici, & iudicium temerarium sunt opinio; nec tamen sunt probabilia, sed certo imprudentia, & falsa. Similiter est certo falsum, quod in præsentī controversiā addatur opinioni to *probabile* ad maiorem expressionem; additur enim ex necessitate, ut opinio probabilis secernatur à non probabili. Ex quo patet, quàm imbellia sint argumenta illius contra licitum probabilem usum, hoc ipso, quod tantum deviet a vero controversiæ sententiā.

N. 17. Sentio 6. ferè omnes Antiquos pro nostra sententiā stetitisse, immo non potuerunt non stare, ut fuisse ostendi d. 11. & 12. Ratio est; quia certum est omni tempore fuisse Confessarios, viguisse obedientiam, extitisse Confessarios: omnes autem isti vel Confessarij, vel Confessarij, vel Superiores non potuerunt in rebus incertis consulere, & jubere nisi probabile, aut probabilius; absurdum autem est putare omnes adeo præsumptuosos fuisse, ut crederent omnia sua consilia, & præcepta, & resolutiones fuisse ipsis semper moraliter certas; omnes autem alienas fuisse ipsis semper certo moraliter falsas: ergo sua opinata non nisi probabilia, aut sibi proba-

Tom. III.

biliora censuerunt. Rursus inhonorificum est credere, quod omnis Superior, Confessarius, aut Confessarius ita iudicaret verum proprium opinatum, ut censerent, quod poenitens absolvi non posset à Confessario sequente oppositum; nec consulens sequi posset consilium oppositum alienum; nec obediens sequi posset præceptum oppositum alterius Superioris; immo ejusdem, si oppositum præscriberet; ergo iudicabant posset; ergo cum simul iudicarent alienam opinionem esse minus probabilem, iudicabant poenitentem posse sequi minus probabilem opinionem sui Confessarii; & petentem consilium sequi posse consilium minus tutum sui Confessarii; & subditum sequi posse nuntium minus probabilem sui Superioris.

N. 18. Dices in hoc casu eos Confessarios, Confessarios, & Superiores sequi opinionem iudicatam ab eisdem magis probabilem. Sed contra; quia licet ita sit, hoc tamen non est ad rem; nam aliud est quod talis opinio respectu horum opinantium sit probabilior; aliud quod respectu primi opinantis sit probabilior: primum est verum; secundum est falsum: ergo hi, qui iudicant opinionem aliorum minus probabilem, iudicant subditum, & poenitentem, & interrogantem bene facere sequendo opinionem horum, quam censent minus probabilem; ergo iudicant licitum sequi minus probabilem; alias non potuissent poenitentem, subditum, & consultantem mittere ad alium Prælatum, Confessarium, & Confessarium. Confirmo, quia esto non liceret sequi probabilius, hoc tamen contra Riccium est prorsus certum, nempe quod omnes Antiqui stent contra: cum censentem nos sequi non posse iudicium nisi moraliter certum (loquor de directo) de non peccato; nam omnes etiam Antiqui, ut dixi, laborarunt ignorantia invincibili in rebus incertis; nec sine gravi aliorum injuria dici potest, quemlibet Antiquum Confessarium putasse semper suum iudicium esse moraliter certum, iudicasset enim alienum fuisse semper certo falsum; quod est contra modestam Antiquorum sapientiam. Lege quæ S. Ant. dedi d. 11. ex S. Aug. S. Bonav. S. Anton. min. S. Paulo.

Sentio 7. quod ad licitè operandum non N. requiratur semper iudicium moraliter certum directum speculativum de immunitate actus à malitia. Dico *directum*, quia de hoc debet esse sermo, nam Riccius impugnat Probabilistas recurrentes ad iudicium reflexum certum de licito usu minus probabilis. An autem bene impugnet, paulò post videbimus: ergo sermo debet esse de iudicio li. ii. directo,

directo, an necesse sit, ut sit moraliter certum de non peccato. Dico, *speculativum*; de hoc enim debet esse sermo, tum quia Riccius impugnatur asserentes, eo quia sequens opinionem probabilem non potest esse certus de non peccato, quia opinio est actus speculativus incertus de honestate objecti: tum quia si non requiritur ad licite operandum nisi iudicium moraliter certum, sed practicum, seu certum certitudine practica, seu prudentiali, totum hoc datur in opinione certo probabili directa, ut infra docebo; vel in iudicio ultimo reflexo, ut dicunt Probabilistae Reflexistae: ergo illud iudicium moraliter certum de non peccato, assertum ab eo ut necessarium, debet esse iudicium speculativum.

N. Quod autem non requiratur iudicium
20. speculativum moraliter certum de non peccato, patet mihi 1. quia in rebus moralibus incertis, supposito gravi, & exquisito gravium Doctorum hinc inde examine, sine iure, immo non nisi summa contra unam partem injuria dici potest alterutram ex contradictoriis esse moraliter certam; si enim ex. gr. est certo moraliter vera opinio Divi Bonav. erit certo moraliter falsa opinio D. Thomae; & e contra; quod dicere erubescerem; nec enim S. Thom. aut S. Bonav. laudari volunt cum opprobrio alterius: ergo si alterutra ex contradictoriis, quod valde frequens est, non est moraliter certa, necesse non est iudicium moraliter certum speculativum de non peccato, ut aliquam sequar opinionem; alias nec S. Thom. operari potuisset, nisi sensisset opinionem Divi Bonav. esse certo moraliter falsam; nec Divus Bonavent. nisi idem sensisset de opinione S. Thomae.

N. Patet 2. quia si requiritur iudicium specu-
21. lativum moraliter certum de non peccato, nec invidibilis ignorantia, aut error, nec opinio probabilissima, si in re sit falsa, excusabunt a peccato, quod est contra fidem.

N. Patet 3. experientia, qua constat plerof-
22. que in rebus moralibus inter gravissimas Scholas controversis habere non posse iudicium moraliter certum de unius partis veritate: ergo obligans ad iudicium moraliter certum de veritate speculativam objecti opinati, supposita communi etiam viris sapientissimis in rebus incertis ignorantia, obligat ad moraliter, immo ad physice impossibile.

N. Patet 4. quod certitudo moralis haberi
23. non possit, quoties pro opposita stare potest iudicium prudens: sed quoties res morales post diligens examen adhuc manent controversae; stare potest pro utraque iudicium prudens: ergo neutra est moraliter certa.

Confirmo querendo à Riccio, an omnes N. ejus conclusiones tradite in suo de *Ass. hum.* 24. tractatu, à quarum plerisque pendet practica honestas, aut inhonestas operationis, sint moraliter certae: ex. gr. lib. 1. de *Ass. hum.* cap. 6. ait omnes contractus, & promissiones factas in favorem hominis, ex metu ab homine injuste extorsio, ex sine extorquendi consensum esse jure naturae irritas; immo addit n. 1. etsi metus esset levis. Quero, inquam, an sit moraliter certa haec conclusio speculativa, ex qua deinde oritur resolutio practica, quod nullus tenebitur eas promissiones, & contractus implere? Et cap. 7. ait vota extorta ex metu injuste incusio ab homine esse jure naturae valida; ex qui sequitur practica resolutio, quod quilibet tenebitur ea vota implere. Quero, inquam, an ea conclusio sit moraliter certa? Si affirmat, mirum dicet, immo dicet, dixisse iudicio suo rem certo moraliter falsam, Divum Bonav. lib. in 3. dist. 36. art. 6. qu. 2. ad 1. M. Scotum lib. 7. de Just. qu. 2. art. 1. ad 2. & alios plures tuentes ea vota, & juramenta esse jure naturae irrita, & inferentes non esse implenda. Similiter lib. 2. cap. 34. affirmat nullum humanam actionem esse posse indifferentem, sed omnem esse necessario bonam, vel malam; ex qua conclusione sequitur, quod fricatio barbae, ventilatio aeris tempore hyverno, accessus ad ignem tempore hyverno, emunctio narium, si fiant ob aliquod naturae commodum, vel ut vitetur incommodum, esse poterunt materia confessionis. Quero, inquam, an ea conclusio sit certa moraliter? Revera vix hoc dicere audebit, est enim contra D. Bonav. Scotum, Gabrielem, & Scotistas; & tamen supposita tantum D. Bonav. istius opinionis speculativae probabilitate, aut, si mavis, probabilitate, iudicat Riccius cap. 35. n. 4. licitum ponere tamquam materiam certam confessionis actum speculativum incertum de malitia: ergo ut quis recte operetur, non requiritur iudicium speculativum moraliter certum de bonitate morali. Rursus, ergo, velit, nolit, intelligere debet, quod possit iudicium esse incertum de malitia, aut honestate objecti, & tamen actus esse certo bonus, ut patet exemplo adducto; nam juxta ejusdem Riccii mentem recte supernaturaliter operatur, qui unice confiteretur se fricasse barbam, ut naturale aliquod incommodum sublevaret, cum, data ejus sententia, quod non detur actus in individuo indifferens, illa fricatio sit peccatum veniale. Ecce in hoc casu iudicium speculativum de malitia fricationis non est illi moraliter certum; non enim in animum

meum inducere possum, quod putet esse si-
bi certo falsam, & improbabilem tententiam
Divi Bonav. Scoti, & totius Scholę Scoti-
ficę: ergo iudicium illud ad lummum erit
ei probabilius; & tamen, quod bene confi-
teatur, & quod det materiam sufficientem
pro confessione, est practicę certum moraliter:
ergo intelligere debet quomodo ad ju-
dicium speculativum incertum, seu proba-
bile, aut probabilius, sequi possit dictamen
certum de bonitate actus; nam certus est se
honestę operari, confitendo tricationem
speculativę tantum ei probabilem, aut pro-
babiliorē de malitiā.

N. Denique contra hunc doctum Theolo-
gum stant omnia, quę dedi contra Tutori-
tas, aut Probabilioritas, immo magis pre-
munt, cum omnem probabilioritatem reji-
ciat, & obliget ad habendam semper certi-
tudinem moralem speculativam de honestate
objecti, ut honestę, & sine peccato ope-
remur. Tandem ejus doctrinę resistit Ale-
xander VIII. damnans, non satis esse proba-
bilissimam: ergo saltem, ut sine peccato ope-
remur, satis est probabilissima, nec necesse
est, ut sit moraliter certa.

§. II.

*Enervantur Responsa, quę Riccius nostris
argumentis exhibet.*

S U M M A R I U M.

*Negat opinioni probabili convenire prudentiam,
n. 26.*
*Damnata ab Innoc. XI. Confusio probabilitatis
prudenter agit, ibid.*
*Prudentia semper se habet ad practicę verum;
et si non ad speculativę, n. 27. 28.*
*Opinio practica certo probabilis de non peccato
est cum peccato impossibilis, n. 28.*
*Opinans ex gravi fundamento de non peccato,
non formidat de peccato, n. 30.*
At nostram doctrinam esse novam, n. 31.
*Difficile discernere inter probabiles probabilio-
rem; non ita probabilem a non probabili, n.
34.*
*At nos non distinguere certitudinem moralem
ab evidentia, n. 35.*
Ostendo falsitatem, n. 36. 37. 38.
*Cur nos damus certitudinem iudicio reflexo; non
ita omni opinioni directę? n. 38.*
*At licitum docere omnem probabilem in specu-
lativeis, non in moralibus, n. 39.*
*Quam sit invincibilis nostra paritas, vel non li-
cere in speculativis; vel licere in moralibus,
n. 40. 41. 42.*
*In Universitatibus opiniones non defenduntur ut
Tom. III.*

verse, n. 42.
Nego licere sequi probabiliorem, n. 43.
*Si non licet sequi probabiliorem ob peccati peri-
culum, sequenda erit semper tutior, et si non
probabilis, n. 44. 45.*
*At tam facile cognosci, quę opinio sit certa; ac
quę certo probabilis, n. 46.*
*Cur sit per me facilius discernere certo probabi-
lem a non probabili; quā probabiliorē in-
ter probabiles? n. 47.*
*Juxta me semper necessaria certitudo moralis
ethica, non speculativa, n. 48.*
*At suam sententiam moraliter certam, non no-
stram, n. 49.*
*Riccius uti debet nostrā doctrinā, ut suam de-
fendat, ibid.*
*Negat magis piam de Desparā esse moraliter
certam, n. 50.*
*Quin vult hodie in eodem statu esse quo antea,
ibid. & n. 51.*
Rejicio à n. 52. ad 57.
*Aliud est aliquid esse in materia fidei; aliud
quod sit fide Divinā credendum, n. 56.*
*At quod Pape non vetent, ut quis opinetur in
sua mente oppositam minus piam, & damna-
tas, n. 57.*

Superest ut ejusdem docti Theologi re-
sponiones ad nostra argumenta ponde-
remus.

Respondet 1. cap. 5. n. 1. ad nostrum ar-
gumentum, quod omnis opinio probabilis
practicę sit iudicium prudens; ait, inquam,
quod cum in questione sit, an operari ex
opinione probabili sit operari prudenter,
malè ponitur in definitione id, quod opposi-
ta sententia negat. Negat autem, tum quia
prudentia non se habet contingenter ad ve-
rum, & falsum, ut opinio: ergo opinioni
non convenit prudentia; tum quia nullus
operans cum æquali spe utilitatis, ac timore
damni operatur prudenter; sed operans ex
opinione probabili ita operatur: ergo non
operatur prudenter; & ideo Innocentius XI.
damnavit, quod dum agimus cōfisi probabilitate,
prudenter agimus: tum quia et si opinio pro-
babilis nitatur fundamento gravi, est tan-
tū grave respectu fundamenti, cui nititur
suspicio, aut conjectura; non autem est gra-
ve, quantum ad removendum peccati peri-
culum; sola enim certitudo moralis est tale
fundamentum.

Sed contra 1. quia, qui recedit à defini-
tione communissimā omnium, ut alium im-
pugnet, non impugnat questionem, sed
acerem verberat: ergo cum definitio com-
munissima omnium tam Probabilistarum,
quā Probabilioristarum, & Tutoristarum
sit,